



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XVII. Vituperatio otii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

tempore sunt devoranda; non dico ipsos raro certo tempore comedere, mercedem laborum difficulter extorquere, & similia.

In EPILOGO monebis Auditores, ut mirabilem hanc ollam studiosè devitent.

XVII. VITUPERATIO OTII.

EXORDIUM: Homines prudentes, ab iis rebus abduci facilè patiuntur, quæ cum aliqua turpitudinis labe, & incommodis multis sunt conjunctæ.

PROPOSITIO: Cum igitur tuos in liberalibus studiis ab otio cupias esse alienissimos, tibi propositum esse affirmabis, & insignem turpitudinem & incommoda huius vitii ipsis demonstrare.

CONFIRMATIONIS I. Locus ab adjuncta turpitudine. Quòd admodum turpe sit, hominem ad laborem, teste Job, natum, aspirare ad otium, cum nihil in mundo otio vacet, ne Deus quidem totius mundi opifex. *Pater meus usq; modo operatur,* ait Christus, & *ego operor.* *Angeli omnes,* teste Apostolo, *sunt administratorii spiritus,* &c. cælestes orbis nulla quiete interposita, continenter agitantur. *Omnes agunt,* ait S. August. *quod agere debent;* quam ergo turpe est solum hominem de ignovo otio agendo cogitare? maximè cum ipsi dictum sit, quod nulli, ut ait Ambrosius, *aliorum animantium,* Gen. 3. v. 19. *In sudore vultus tui manducabis panem tuum.*

II. Ab incommodis. Nam PRIMÒ, otio patet janua diabolo, & eius tentationibus. Est enim pulvinar diaboli. Hinc S. Hieronymus. *Aliquid operis facito,* ait, *ut semper te diabolus inveniat occupatum.* Joan. Cassianus. *Hæc,* ait, *apud Ægyptum ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem Monachum demone uno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus devastari.*

Epist. 5. v. 7.
Gen. 2. v. 15.
Ioan. 5. v. 18.
Heb. 1. v. 14.
Serm. 6. ad
fratres in
Eremo.

Præf. in Luc.
Gen. 3. v. 19.

Epist. 4.
Lib. 10. Inst.
Mor. c. 25.

VITUPERATIO OTII.

59

SECUNDÒ, otium est magister omnium vitiorum: hinc à Spiritu sancto doctor ipsius malitiæ nuncupatur, cum ait: *Multam malitiam docuit otiositas.* Neq; enim leviora duntaxat delicta, sed gravissima etiam, & nefaria crimina in otii ludo addiscuntur; quæ nomine *multæ malitiæ* hic intelliguntur. S. Augustinus ait: *Per hanc (otiositatem) accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè pasci, per hanc suffocamur pretiosè vestiri, per hanc ad superfluum dormitionem trahimur, per hanc ad verba secularia ducimur. Nunquam quis civis cælorum erit si otiositatem amaverit.* Atque hæc est causa, cur B. Ambrosius non dubitet tempus belli & persecutionis tempori pacis, quo otium viget, antepone. Eadem de causa S. Hieron. non semel otium appellavit *rubiginem sapientia & ingenii*: ut enim tempore pacis videmus arma bellica splendore suo destitui, & rubigine obduci; sic in otio animus noster exercitatione virtutum destitutus quasi torpescit, & rubiginem contrahit ac firum spiritualem.

TERTIÒ, otiosus jacturam facit temporis, quod Theophrastus apud Laert. sumptum pretiosissimum vocat: quia elapsum nullo pretio recuperari potest. Hinc & Democritus Milesius pretiosissimum impendium appellavit.

III. *Ab exemplis eorum, qui propter otium in gravissima crimina prolapsi sunt.* Nonne otium filios Israel permovit, ut Moyses in monte cum Deo agente aureum vitulum impiè adorarent? Nonne Propheta Ezechiel causam istius libidinis, ob quam Sodoma & Gomorrha, aliæque Urbes cælesti fulmine absumptæ sunt, saturitati panis, & otio ipsorum & filiorum attribuit? *Quando David, ait S. August. exercitavit se in militia, non insultavit ei luxuria; sed postquam in domo otiosus remansit,*

Syr 33. v. 29.

Serm. 16 ad Frat. in Ere- mo.

In expos. Psal. 118. serm. II. Inc 10. Eccl.

Exod 32 v. 6. Sedit populus, &c cap. 16. v. 4. Serm. 16. ad Fratres in Ere- mo. 2. Reg. 11. 4. Iud. 6. v. 25. 3. Reg. 11. 4.

labo-

laboravit adulterio, & homicidium commisit. Samsarum cum Philistaeis pugnavit non potuit capi ab hostibus; sed postquam dormivit in sinu foeminae, & otium cum ea remansit, mox capitur, & cacatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in adificatione Templi sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere, persensit insultum luxuriae, & deficiens, foemina instigante ad idola, adoravit in thalamo vitulum aureum, &c.

IV. Ab Exemplis eorum, qui otii hostes fuerunt quorum multa recensentur in speculo nostro Bonorum Clericorum.

Matt. 20. 8. In Epilogo monachis Auditores, ut cogitent
Matt. 16. 29. Verbo Divino non otiosis, sed laborantibus pra-
Matt. 23. 8. mitti mercedem, & quidem majorem mercedem
2. Cor. 9. v. 6. secundum majorem laborem, item exiguos esse
Rom. 8. v. 18. labores nostros, si cum excellentia mercedis aeternae
2. Cor. 4. 17. conferantur; & ut ad cavendum otium tempusque redimendum ita se occupent actionibus & laboribus instituto suo consentaneis, ne, quod praecipuum est, animae salutem negligant: id enim esset vitium vitio pellere, & unum diabolum pro alio admittere. Hoc certè omnium actionum, virtutisq; totius fundamentum esse debet, ut *sobriè, pie, & justè* hanc vitam instituamus *in hoc seculo*. Atque idcirco sapienter monet Augustinus, ut occupationibus, sive literarum, sive negotiationum, sive litium, sive aliis quibuscunq; nos dedamus, tempus tamen aliquod eripiamus curandae salutis nostrae: id enim esse apud Apostolum, *Redimere tempus*.

XVIII. VITUPERATIO PIGRITIAE, & Corporalis, & Spiritualis.

EXORDIUM ab hac comparatione ducetur: si huius saeculi homines pro exigua mercede & quaestu ingentes saepe subeunt labores, eodq; majores, quo major quaestus vel remunerationis spes afful-

Tit. 2. v. 12.
De verbis
Apost.
Serm. 26.
Eph. 2. v. 15.